DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CHYLOSI VITIATA.
QUAM
ANNUENTE DIVINA GRATIA
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,
D. WOLFERDI SENGUERDII, L.A.M.
Phil. & J. U. Doct. illiusque in Illustri Academiâ
Lugd.-Bat. Profess. ordinarii, celeberrimi, &c.
NECNON
*Amplissimi Senatûs Academici Consensu & Almæ
Facultatis* MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summísque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,
Publico examini subjicit
BERNARDUS DE MANDEVILLE, Rotter.-Bat.
Ad diem 30 *Mart. horâ locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCXCI.

Doctissimo Expertissimoque Viro

D. D. MICHÄELI DE MANDEVILLE. M. D.

apud Roterodamenses practico felicissimo, parenti meo ad aras filiali amore prosequendo.

UT ET

Illustri admodum facundissimoque Viro

D. D. SEBASTIANO SCHEPERS. J. U. D.

Civitatis Roterodamensis Syndico, & à Secretis dignissimo, propter amorem erga me, semper colendo




Se & hasce theses inaugurales

D. D. D.

BERNARDUS DE MANDEVILLE,

Auctor & Respondens.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHYLOSI VITIATA.

THES. I.



ogitanti mihi de materia quadam eligenda promovendis enucleanda, & defendenda præ cæteris arrisit chyli generatio læsa: tum quia malum ubique est maxime vulgare, tum quia plurimi graviores morbi ex hoc malorum fonte originem suam deducunt.

II.

Læsa autem chylificatio practicis in tres partes dividitur suntque hæ *βραδυπεψία* seu concoctio tarda, vel imminuta, *ἀπεψία* seu plane abolita, & *δυσπεψία* seu depravata. Horum vocabulorum etymologiam quod attinet oriunda sunt ex verbo Græco *πέπτω*, Latine *coquo*, eorumque primo præponitur *βραδὺς tardus*. Secundo *α* privativo, tertio particula *δυς* in

compoſitione *malè*, *ægrè*, *difficultèr* ſignificans; hæcque tria concoctionis ventriculi vitia uno nomine *cruditas* appellantur.

I I I.

Sed, antequam horum chyloſeos affectuum morboſorum explicationem aggrediamur, prius naturalem ejus ſtatum examinare non abs re fore exiſtimo. Alimenta igitur aſſumta, dentibus maſticata, ſaliva ex glandulis in os depluente permiſta, & muſculis œſophagi deglutita ventriculo ingeruntur, ibique in liquorem quaſi pultaceum, qui chylus appellatur, transmutantur. Hæcque actio ob id chylificatio dicitur, & ratione modi à veteribus coctio, à modernis fermentatio nominatur.

I V.

Cauſam hujus chylificationis primariam, veteres, calorem quendam ventriculo, ut ajebant, innatum eſſe credidere. Sed quia videmus piſces abſque calore alimenta digerere, canes oſſa, gallinas vitra abſumere judicamus calorem ad explicandam hanc actionem minime ſufficere. Ex enim eo qui ſolo in motu conſiſtit nec unquam niſi gradibus differt, quis, quæſo, explicabit illam in ſingulis fere animalibus, etiam iis, qui eiſdem cibis nutriuntur, digerendi varietatem? Turtur, ut teſtantur omnes, helleborum, canis vitrum antimonii optime digerit ſine ulla evomitione; ex quo manifeſſimè patet, cauſam illam digerentem, aliam eſſe in homine, aliam in cane, licet eodem pane nutritis. Præterea in febribus, ubi calor per totum corpus multum auctus eſt, ut appetitus eſt protractus, ita & coctio aut omnino abolita, aut certe multum depravata reperitur.

V.

Sic vice verſa in fame canina, ut ibi appetitus eſt ingens, ita cita digeſtio, quamvis tamen calor tunc temporis auctus minime ſit. Poſtremo omnia acida dicuntur frigida, appetitum tamen excitant, digeſtionem promovent. Sic & ex plurimis hypochondriacis, quorum ventriculus, etſi dicatur frigidus, ſæpius avidiſſime cibos appetit, eoſque cito digerit, clare probatur calorem hanc coctionem non efficere. Ex quibus omnibus exiſtimo, ſufficienter demonſtratum eſſe calorem hujus operis cauſam primam non eſſe.

VI.

VI.

Remanet ergo; facultates enim jam ubique ſatis expulſæ ſunt, ut fermentationi adhæreamus, dicamuſque ventriculo ineſſe ſuccum quendam, qui inſtar fermenti piſtorii alimenta excitat, eaque fermentationis beneficio tranſmutat; ſuccus hic naturaliter conſtitutus eſt acido volatilis temperatus, conſtatque partim ex Chylo in rugis ventriculi hic & illic remanente, partim ex ſpiritibus animalibus ibi è cerebro per vaſa in ventriculum hiantia delatis. Fuere autem, qui illud fermentum è liene in ſtomachum deferri volebant: ſed quia hi nunquam demonſtrare potuerunt ductus aliquos eſſe, per quos talis ſuccus ex liene in ventriculum deferri poſſet, merito illam opinionem rejicimus.

VII.

Succus ille ergo ventriculo contenta, jam antea quodammodò comminuta, & ſaliva deluta acida ſua volatilitate incidit, penetrat, reſolvit, & ad fermentationem promovet: poſſet hic quid ſit fermentatio fuſius explicari, ſed de ea hic ex profeſſo (nimis enim longum foret) agere nolens ſaltem hoc dicam. Fermentationem eſſe inteſtinum expanſivumque motum in humido convenienti, & ſpatio libero, citra cauſam ſenſibiliter advenientem, factum cum totali, aut partiali corporis fermentati mutatione. Ut jam fermentationem hanc naturali modo procedentem ſequitur bona chylificatio; ſic è contra eam quovis modo læſam, læſa etiam ſequitur chyli generatio & ut primum bona concoctio, ſic alterum cruditas appellatur.

VIII.

Cruditas autem hæc dividitur in acidam, & nidoroſam; acida eſt, quando alimenta abeunt in ſuccum acidum, & non ſufficienter volatiliſatum; nidoroſa vero dicitur cruditas, quando ea corrumpuntur, ut abeant in liquamen horridi ſaporis putrilaginoſum, & nutritioni omnino ineptum. Cauſam proximam quod attinet horum vitiorum; hæc vel erit in ipſo ventriculo, vel in ejus fermento depravato, vel in vitio aſſumtorum alimen-

mentorum. Læsa chylificatio vitio ventriculi causas habet omnes ventriculi morbos, inter quas aliquæ etiam sunt secundariæ; ex procedentia enim cartilaginis ensiformis, verrucis ventriculo adnatis, renibus calculo afflictis per consensum nervorum stomachum inficientibus, sæpius orta esse chylificationis vitia testantur auctores.

IX.

Fermentum stomachi depravatur primo, quando non est satis volatile, sed totum constat ex acido nimis fixo, aut cum peregrino acore in stomacho corrupto. Nam, si respiciamus hypochondriacos, assumta à fermento quidem prompte inciduntur, & dissolvuntur; sed, quia illud sale volatili ita depauperatum est, non procurat alimentis debitam, bonoque chylo necessariam fermentationem; sed è contra non solum assumta minus convenientia non corrigit; verum etiam, quæ sale volatili abunde prædita sunt, acore suo nimis fixo in massam vitiose acidam transmutat; unde inprimis cruditas oritur illa, quæ vocatur acida.

X.

Secundo læditur fermentum quando ex perverso motu peristaltico fit, ut bilis in ventriculum regurgitet ibique acidum fermenti naturale sale suo volatili oleoso debilitet; ita, ut particulæ ejus alias satis acutæ ad assumta incidenda, nunc partibus bilis oleosis circumvolutæ sic hebetentur, ut ineptæ fiant ad penetranda, & dissolvenda stomacho ingesta, eaque ad sufficientem fermentationem adaptanda, incitandaque; & ex hoc affectu cruditas oritur nidorosa. Hisque de fermento in genere quæ dici solent absolutis operæ pretium erit medico speciales illas, quas quotidie observamus fermenti varietates, curiosius examinare. Abunde enim edocemur non tantum in diversa animalium specie; sed etiam in unoquoque homine fermenti illam varietatem conspicuam esse ratione cujus, ut variat appetitus, sic tota assumtorum digestio; ita ut ea, quæ unus avidè appetit, & hinc facillime digerit, alius respuat, aut non nisi cum molestia concoquat. Ex quo sequitur appetitum indicem quasi

esse

esse monstrantem, quænam assumenda sint. Nam vulgo, quæ libenter assumuntur, facile digeruntur, quoniam illa, quæ appetuntur fere semper fermento stomachico sunt amica, eaque, quæ ipsi sunt amica, aliis ab eo facilius dissolvuntur, & ad fermentationem incitantur.

X I.

Hinc Hippocrat. nobis injungit in aphorismis; appetita inappetitis longe facilius digeri: quod etiam probatur fœminis, præsertim gravidis, pica, & malacia laborantibus. Tulpius habet observat: *lib.* 2. *cap.* 24. de gravida, quæ per tempus gestationis 1400 haleces devoravit sine noxa. Platerus in observat. refert de puella, quæ comedit cœpam buboni pestilentiali antea applicatam, etiam citra ullam noxam: quamvis dubitandum non sit, cœpam veneno plane fuisse infectam. Quomodo jam fieri posset? ut illa assumta appetita, non minus noxia, quam horrenda ab illis sine ulla noxa digererentur, si non essent amica; & convenientia fermento stomachi. Et ex hoc etiam sequitur, consuetudinem ciborum hic multum efficere, adeoque ejus magnam medico habendam esse rationem: Cum, & ipse ait Hippocrat. in omnibus morbis consueta, licet deteriora, insuetis licet melioribus, esse præferenda. Causas harum fermenti varietatum, quod attinet, vel sunt hæreditariæ, vel à diversitate spirituum, aut pororum, per quos segregantur, aut ab ipsis externis petendæ sunt; hocque sufficiat de fermento, ejusque vitio in impediendа ventriculi concoctione.

X I I.

Pergo jam ad alterum chyloseos vitium, nempe ex assumtis alimentis ortum. Peccant ergo 1°. assumta, quando nimis copiose ingesta commode digeri nequeunt. Ratio est, quia unumquodque menstruum fermentativum debitam requirit objecti proportionem, in quod agendum est, si jam nimia ingeratur alimentorum quantitas, fermentum in tantum obruitur, ut eadem nec dissolvat sufficienter nec convenienter fermentando volatiliset: hinc fit, uti assumta nimis copiose ingesta; postquam qui-

dem accepere acorem fermentativum; sed nimis debilem, ut hinc fermententur, abeant, inpastam crudam & acidam. 2°. Fermentum nimius potus diluit, diluendo hebes reddit, & alimenta in stomacho ita fluctuare facit, ut in legitima sua fermentatione impediantur; denique, quod non est omittendum hinc evenit; ut fibræ ventriculi ita luxentur, & flaccidæ reddantur, ut digesta licet alimenta per pylorum commode expelli nequeant; quo fit, ut ea diutius in ventriculo detenta corrumpantur, multaque pariant mala.

XIII.

3°. Digestionem turbat ciborum varietas; quamvis enim fermentum stomachicum valeat varios admodum cibos dissolvere, certum tamen est, id magis ad hunc, quam ad illum cibum determinari, si ergo acida cum dulcibus, pinguia cum macris simul ingerantur, & fermentum in hoc magis, quam in illud agat, necesse est, ut vitietur digestio, & oriantur multæ cruditates. Cum muco in ventriculo residuo, quod enim non bene digeritur vix per pylorum transmittitur; unde cruda & acida illa mucilago tam fibras ventriculi nervosas, quam ipsum fermentum obruit. Quod ciborum qualitatem attinet; certum est ex nimis acidis assumtis oriri cruditates acidas; ex nimis pinguibus, nidorosas. Sic etiam in genere lædunt assumta duriora, quæ sunt concoctu difficiliora; ut etiam ea, quæ nimis frigida, humida, flatuosaque existunt. Causis explicatis, ut ordinem servemus, transeamus ad signa diagnostica, quæ hæc fere sunt.

XIV.

Ægri conqueruntur de stomachi dolore post pastum, de ejus inflatione, de ructibus continuis, ab assumtione ciborum 5. vel 6. horas durantibus, iisque proprium ciborum saporem repræsentantibus, sæpius de difficili respiratione quando dorso incumbunt aut ambulant conqueruntur: nunc facies rubore tingitur, nunc appetitus est prostratus, mucus in os è ventriculo ascendens provenit copiosus, præsertim tempore matutino. In cruditate acida laborantibus ructus sunt acidi, flatus plurimi &

om-

omnia, quæ per vomitum ejiciuntur ſunt pituitoſa, viſcida, & craſſa, ſaporis, ſi guſtentur, acidi. In cruditate vero nidoroſa ructus ſunt fœtidi & horridi referuntque ægrotis ſaporem ovorum, & piſcium corruptorum olei trixi & ſimilium ingratorum per vomitum, ejecta aquoſa, vel plane inſipida, vel parum amaricantia ſunt.

X V.

Quo ad prognoſin coctionis vitium, quod à cauſis externis excitatur, facile corrigitur: item, quod oritur ab humoribus ex aliis partibus in ventriculum delatis, *facilius* curatu eſt eo, quod ex ipſo oritur ventriculo. Oportet tamen, ut in prognoſi hic ſemper cautus admodum ſit medicus. Si enim inveterata ſit illa cruditas, affectus producit omnium graviſſimos. Si ex ebrioſitate lædatur concoctio, malumque diu perſeverat, metus eſt hydropis apepſiam, ſi non cito corrigatur, ut plurimum ſequetur lienteria, quando enim fermentum ſtomacho contenta non incidit, nec ullo modo fermentationi adaptat, nullam aut certe parvam acquirent mutationem. Cæterum ex cruditate acida oriuntur colica, cholera, diarrhæa, dyſenteria, fluxus cæliacus, hæmorrhoidalis, teneſmus, &c. Imo aucta acredine, eaque per maſſam ſanguinis diſtributa orientur febres tam continuæ, quam intermittentes, ſcorbutus, malum hypochondriacum & quævis hujuſmodi. Poſtea acidum illud, jam corroſivum & ipſas artus arripit: ibique omnes arthritidis ſpecies procreat; denique cauſa eſſe poteſt omnium morborum chronicorum, qui ex obſtructionibus viſcerum meſenterii, hepatis, & lienis oriri putantur. Conſtat ergo, læſam hanc chylificationem affectum eſſe, ex quo, tanquam ex morborum oceano, cæteri affectus ſuam originem trahunt. Quapropter feſtinandum erit, ut aliqua huic malo remedia parentur.

X V I.

In curatione ergo ſcopus ſit; primo, omnes illas ventriculi ſordes, mucum, & ſuccos in ſtomacho hærentes, propter moram diuturnam acidos, & craſſos removere. Secundo fermen-

tum,

tum, quantum fieri poteſt, corrigere, & in naturalem ſtatum reducere ante omnia origo conveniunt vomitoria, inter quæ antimonialia ſunt cæteris præponenda: ut ſunt vina emetica ex vitro antimonii, tartar. emet. mercurius vitæ; ſed ante omnia præferenda liquida, quia pulveres, propterea quod rugis ventriculi ſæpe inhæreant, vomitum immanem pariant. In ſpecie poteſt hæc præſcribi formula.

℞. Croci metallor.

vel

Vitri antimonii gr. viij vel x nil enim refert ſi modo bene attendatur ad liquidi quantitatem: adde

vini Hiſpanici ℥iiß in fortioribus ℥iij

ſtent per noctem loco tepido, mane colentur per chartam bibulam, ſicque calide propinetur ægro, ſuperbibendo poſt horam, vel quando nauſea ſentitur, cereviſiam calidam butyro permiſtam: quibus ſæpius addenda; ut vomitus facilius promoveatur titillatio, plumæ anſerinæ in fauces immiſſæ; & ut cum antimoniatis eodem modo cum mercurialibus procedi poteſt.

X V I I.

Secundo loco ſequuntur ſtomachum corrigentia, ut ſunt radic. zedoariæ, enul. campan., calami aromat., ſingiberis, galangæ minoris, pimpinellæ, & præſertim radicis pirethri ad pauca grana cæteris ſtomachicis admiſta mira efficiunt. Inter cortices primi ſunt aurantior., citri Winteranii &c. elixir prop. paracel., elixir ſtomachicum Minſychti, ut & illud Johannis Michaëlis, maſtix etiam optimum eſt ſtomachicum nunc propinanda ſunt ſalia lixivioſa, & omnia præcipitantia, ut chalybs oculi canc. antimon. diaphoret. nunc volatilia, ut ſal cornucervi, menthæ &c. & pro his omnibus præſcribatur formula ſequens.

℞. Rad. enulæ campan. ℥ß

Armoraciæ ʒij

Herbar. menthæ

Cochler, A. M. S.

Cort. aurant.

Citri ana ʒij

Se-

Seminis erucæ ℥j
Sal tartari ℈ij

Quæ concisa, & contusa includantur nodulo, cui superfunde vini mensuram unam, maneant in cantharo bene clauso, bibatque hinc æger quotidie bis terve haustum ad ℥iij. vel, si abhorreat à copioso potu, detur elix. prop. p., vel alius stomachici gt. xx vel ultra ex cochleari vini generosi.

XVIII.

Ubi vero peccat cruditas nidorosa; unde appetitus prostratus, & hujusmodi symptomata; subacida: ut succi granator., aurant., citri, vel, si fortius procedendum sit; spir. salis dulcis, nitri dulcis &c. conveniunt. Et præcipue quidem hæc præscribatur formula.

℞. Conserv. rosar. rubr. ℥ij
Spir. nitri dulcis qs. ad grat.

Capiant hinc post pastum magnitudinem castaneæ, vel circiter, vel utantur guttatim bis terve de die cerevisia spir. subacidis acidulata.

XIX.

Quando autem in his affectibus intestina etiam participent de viscositate, nonnunquam prosunt purgantia per alvum, & hic optimæ sunt pullulæ sequentes.

℞. Pill. hier. C. Agar.
rusi ana ℈ß.
Sal. tartar. gr. iv.
Ol. cort. aurant. gt. j.

C. S. Q. elix. prop. par. vel syrup. absinth. F. S. A: Pill. eso v. mane jejuno stomacho deglutiendæ. Vel deglutiat æger bolum ex hiera picra ad ℥ij, superbibendo cerevisiam calidam.

XX.

Ultimo hic convenient topica, quæ aliquando non parum faciunt, & pro his sit formula sequens.

Ma-

℞. Mastich. elec. pulverizat. qs.

Insparge corio tenuissimo ad tegendam Stomachi regionem sufficienti, pistillo fervido agita, ut fiat emplastrum, quod postea illinatur oleo aliquo aromatico; ut nucis moschatæ, cinamom., caryophillor. &c. & apponatur regioni stomachi.

XXI.

Plura qui cupit legat auctores celeberrimos, & pro captu excerpat efficacissima, inter quos chymici non sunt ultimo loco habendi.

COROLLARIA.

I.

Fermentum stomachicum non fluit è liene.

II.

Calor non est primaria chylificationis causa.

III.

Chylificatio absque fermentatione peragi nequit.

IV.

Dicere enim dari facultatem concoctricem aque ridiculum est, ac dari qualitates occultas.

V.

Fœtus in utero non respirat.

VI.

Calor est effectum motus.

VII.

Quies est aque realis ac motus.

VIII.

Bruta non sentiunt.

FINIS.